



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio vigesimaprima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

geniissent, non fuissent confirmati, patet: quia status confirmationis est in visione dei per essentiam, & eorum que ad videndum pertinent, ad que statim sequitur immortalitas corporis, qua non potest mori, que non fuissent: in statu innocentie pro tempore quo geniissent, sed fuissent pro tempore quo translati fuissent ad gloriam, ubi non nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli dei in caelis.

10 AD Primum argumentum dicendum est quod iustitia originalis fuit per gratiam causaliter, quia gratis data fuit primo homini pro se & sua posteritate, & conseruare eam potuit sibi & aliis, conseruando rectitudinem iustitie gratuite: non fuit tamen essentialiter ipsa gratia gratum faciens: quia illam recuperavit homo per penitentiam: non autem originalem iustitiam: vtraque tamen fuit donum dei infusum a deo, non transfusum per hominem.

11 Per idem patet solutio ad secundum, quia licet paruuli habuissent iustitiam originalem sicut & parentes, non tamen habuissent eam per transfusionem, sed per infusionem & sic non fuissent paterna iustitie haeredes.

12 ARGUMENTVM in oppositum solum concludit quod paruuli nati fuissent cum iustitia originali, quod concessum est.

Sententia huius distinctionis. XXXI.
in Generali & Speciali.

VIDENS igitur diabolus, Superius determinauit Magister conditionem nature creature rationalis. Hic vero determinat de casu eius per peccatum. Et diuiditur in tres. Primo determinat de peccato primorum parentum. Secundo determinat de peccato quod ab eis contrahiunt. Tertio ibi de quolibet actuali peccato. Secunda in principio. 30. dist. ibi in superioribus insinuatum est.

Tertia in principio. 33. dist. ibi est praedicta de peccato. Prima in tres. Primo determinat lapsum hominis primi quantum ad deceptionem extrinsecam. Secundo quantum ad intrinsecam. Tertio per comparisonem ad deum pernitentem. Secunda in principio. 22. dist. ibi hoc diligenter videtur. Tertia in principio. 23. ibi praeterea quartum folet. Prima est praesentis lectionis & diuiditur in tres. Primo determinat modum tentationis primi parentis. Secundo in generali ostendit modum cuiuslibet tentationis. Tertio ex modo tentandi concludit perpetrationem peccati. Secunda ibi, porro sciedum est. Tertia ibi, homo igitur ex sola tentatione. Primo ostendit tentationis modum. Secundo tentationis instrumentum. Tertio tentationis progressum. Secunda ibi, Sed quia illi per violentiam. Tertia ibi, Tentatio autem hoc modo. Tertia pars in qua perpetratione peccati concluditur, diuiditur in tres. Primo ostendit peccati remissionem. Secundo ea explicat. Tertio remouet quaedam dubia. Secunda ibi, Praeterea angelica natura. Tertia ibi, Illud quoque notandum. Haec est sententia literae in generali.

2 IN Speciali sic procedit, & primo proponit quod diabolus inuidens homini per hoc quod videbat eum per obedientie humilitatem ad caelestem gloriam (a qua electus est, & per superbiam corruit) posse conscendere, & quod nihilominus peccare poterat, tentauit eum, & quodammodo vires suas experiens in debiliore parte sexus (scilicet in muliere) tentatione aggressus est. Et postea dicit quod diabolus volens dolo supplantare quod virtute & violentia nequibat apparuit mulieri non in sua specie (ne cognosceretur aperte) neque in qualibet alia specie, ne nimis eius status occulta caueri non posset, sed permissus est apparere in tali specie qua, scilicet de facili malitia eius deprehenditur, scilicet in specie serpentis, congruebat autem species tentationi propter astutiam per quem serpentem tanquam instrumentum diabolus loquutus est, venit serpens neque verba intelligebat, sed a diabolo mouebatur (sicut a serua Baalam a bono angelo) quem loquentem mulier videns credidit loquenti officium ipsum a Deo recepisse. Postea dicit quod tentatio hoc modo facta est, quia scilicet tentator verba sub interrogatione proponit, ut scilicet responsione disceret qualiter sibi procedendum foret, unde cum statim mulier dubitando dicit ne forte &c. Respondit ipse mendaciter excludendo, nequaquam moriemini, & ad maiorem mulieris deceptionem praemium promisit promittendo ea quae naturaliter appeteret (scilicet vitam, & perfectio-

nem scientiae) scientes bonum & malum, in qua tentatio ne triplici genere peccati tentauit scilicet de gula quoad cibum, de vana gloria quoad promissionem diuinitatis, de auaritia, quoad promissionem scientiae. Postea dicit duas tentationis species esse, vnam exteriorem, illam interioriorem. Exterior vero est quando extrinsecus & visibiliter nobis malum suggeritur. Interior vero quae inuisibiliter perficitur ab aduersario. Et haec est duplex ab hoste & sine peccato, alia a carne quae non fit sine peccato, quae carnis tentationem dicit esse difficiliorem. Postea ex hoc dicit quod homo corruit grauiter quia exteriorem tantum tentatus succubuit tentanti, quia tamen tentatione cecidit, ideo reparatorem habuit, non sic autem demon, quia neque per alium cecidit, neque in eo tota natura corrupta fuit. Vltimo quia posset dubitari quando mulier diuinum praecipitum receperat, dicit quod per virum peruenerat ad mulierem. Et si quaeratur vterius quomodo loquebatur mulier quae non didicerat dicit, quod a deo loquendi officium acceperat. Et in hoc terminatur, &c.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum tentatio sit peccatum.

Thom. 1. q. 114. ar. 3. & 1. 2. q. 20. ar. 4.

Circa distinctionem. 21. Primo quaeritur, vtrum tentatio sit peccatum. Et videtur quod non: quia nullus peccat in eo quod vitare non potest: sed nullus potest vitare quin quandoque tentetur, igitur &c.

2 Item secundum Greg. tentatio cui non consentitur non est vitium, sed materia exercecendi virtutis: sed est necesse tentationi consentire, ergo &c.

3 IN CONTRARIVM est quod dicit Aug. 3. de Ciui. dei, quod nonnullum vitium est cum caro concupiscit aduersus spiritum: sed in hoc consistit tentatio carnis, ergo ipsa semper est peccatum, & idem iudicium videtur esse de omnibus aliis.

4 **RESPONSIO.** Videnda sunt tria. Primum est quid sit tentatio, & quae sunt de ratione tentationis. Secundum erit cui conueniat tentare. Et ex his apparebit tertium, scilicet quae tentatio sit peccatum, & quae non.

5 Circa primum est intelligendum quod tentatio, sicut nunc loquimur, & contra qua oramus dicentes, & ne nos inducas in tentationem, non est aliud quam motus vel actus natus inclinare hominem ad aliquod illicitum. Quod patet: quia sicut se habet tentatio in speculabilibus ad verum & falsum, sic in operabilibus ad bonum & malum, licitum & illicitum: sed in speculabilibus non est tentatio nisi cum per apparentem rationem concluditur falsum natum inclinare intellectum ad errandum: syllogismus enim tentatiuus est apparens, & non existens: & sic ad sumendum experimentum de scientia, ergo in operabilibus non est tentatio nisi per actum vel motum natum inclinare voluntatem ad aliquid illicitum, & fit ad sumendum experimentum de bonitate vel malitia. Vtrobique autem tria sunt de ratione tentationis. scilicet actus defectiuus, experientia dubia, & quod vtrumque sit de intentione tentantis, ut patet cum vnus homo tentat alium.

6 Ex hoc apparet secunda, scilicet cuius sit tentare, clarum enim est quod proprie Deo non competit, tum quia actus eius non potest esse defectiuus, tum quia nihil est sibi dubium de quo per tentationem sumat experimentum. Et ideo dicitur Iac. 1. quod Deus intencator est malorum, ipse enim neminem tentat. Quod autem dicitur Gen. 22. Tentauit Deus Abraham, per quamdam similitudinem accipiendum est, eo quod praecipit factum Abraham de filii sui immolatione, manifestauit eius obedientiam non Deo cui praecognita erat, sed nobis quibus aliter fuisse ignota, & ita secundum quid fuit sibi secunda conditio tentationis, non autem simpliciter. Similiter tertia, intendebat enim Deus manifestare nobis eius obedientiam, quae Abraham fuit ad meritum, nobis autem ad exemplum.

7 Similiter nec mundo competit tentare proprie, quia mundus seu res mundi se habent solum obiectiue in tentatione. tentare autem est proprie proponere obiectum, actum vel motum illicitum, & intendentis finem quod mundo non conuenit.

Item

8 Item nec caro propriè tentat, neque homo seipsum nõ refrinando motum carnis: quia nõ intendit de seipso sumere experimentũ alicuius dubii, quod tamẽ est de ratione tentationis. Est tamen in tentatione carnis motus natus inclinare voluntatẽ in aliquid illicitum. Solus ergo dæmon propriè dicitur tentare hominẽ, vel vnus homo alium dum proponit alii visibiliter dicto vel factõ (vt homo homini) vel inuisibiliter (vt in imaginatione hominis dæmon) id quod natũ est inclinare voluntatẽ in aliquid malum. Et sic ad fumendum experimentum de bonitate vel malitia eius cui proponitur. veruntamen quia in aliis inuenitur aliquid de ratione tentationis, ideo (licet largẽ mundus & caro dicitur tentare.

9 HOC Supposito dicendum q̄ tentatio carnis semper est peccatum, tentatio autẽ hostis vel mundi non, nisi accedente consensu vel delectatione. Primum patet, quia omnis motus illicitus qui est in potestate hominis semper est peccatum, sed tentatio carnis est huiusmodi, ergo &c. Probatio minoris motus enim carnis natus est inclinare ad prosecutionem venerorum. Hic autem motus potest quandoq; esse a causa purè naturali, vt cum insurgit ex sola calefactione corporis in somno, & tunc nõ est peccatũ, nec dicitur tentatio carnis: quandoq; a causa extrinseca, puta dæmone adhibente aliqua calefactiua carnis, & idẽ est iudicium quandoq; autẽ ab imaginatione & appetitu sensualitatis, & tunc dicitur tentatio carnis, & est peccatũ, quia talis motus prohiberi potuit per rationem, cui appetitus sensitius natus est subici. Secundũ patet, quia secundum Aug. 1. de libe. arb. malum quod patimur est pœna, nõ culpa, sed in tentatione hostis vel mundi (nisi ex parte hominis accedat delectatio vel cõsensu) solum est malum quod patimur, cum autem delectamur, iam consecutimus, iam cooperamur, ergo &c.

10 AD Primum argumentũ dicendum q̄ singuli motus carnis vitari possunt, inquantũ præueniri possunt a ratione, ne insurgant ex appetitu sensitio, & ideo peccata sunt. Tentatio autẽ dæmonis vel mundi vitari non potest, & ideo non est peccatum, sed delectatio vel cõsensu in eis est peccatum, quia vitari potuit.

11 Per idẽ patet solutio ad secundũ. Semper enim in tentatione carnis est aliquis cõsensu, quia nõ prohibetur quod prohiberi potuit. Non autẽ in aliis tentationibus & ideo ipsa est peccatum, non autem aliã.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum tentatio sit appetenda.

SECUNDUM quæritur, vtrum tentatio sit appetenda. Et videtur quod sic: quia illud est appetendum de quo cum euenerit est gaudendum: sed tentatio est huiusmodi. vnde in Cano. Iac. 1. cap. dicitur: Omne gaudium exultimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.

2 Item Paulus petiuit indiscretẽ stimulu carnis amoueri sibi, vt dicit glo. 2. Cor. 12. Ex quo videtur quod tentatio non sit fugienda, sed appetenda.

3 IN CONTRARIUM est, quia Dominus docet nos orare ne intremus in tentationem, Mar. 6. quod non esset, si tentatio esset appetenda, ergo &c.

4 RESPONSIO. Cum bonum sit quod omnia appetunt sicut aliquid habet rationem boni, sic habet rationem appetibilis. Est autem aliquid bonum secundum se, aliquid autem ratione adiuncti, siue sequela, sicut amara medicina inquantum est inductiua sanitatis. Dicendum q̄ nullus recte eligens appetit tentari tentatione carnis, neque secundum se, nec ratione adiuncti, puta victorie, quia nõ secundum se, quia quod secundum se habet rationem mali, secundum se habet rationem fugibilis, & nõ appetibilis: sed tentatio carnis est huiusmodi (vt probaturum est in quaestione præcedente) ergo &c. Item nec ratione adiuncti, puta victorie, quia secundum Apost. ad Rom. 3. Non sunt facienda mala vt veniat bona, licet mala pœnae sint patienda. Sed tentatio carnis est malum culpæ quod facimus non malum pœnae quod patimur, ergo &c. Item tentationi carnis nunq; est adiuncta plena victoria, imò quicumq; tentatur quoad aliquod vincitur, alioquin non peccaret.

5 De tentatione autem dæmonis & mundi, dicendum quod nõ est appetenda propter se, quia in ipsa secundũ

se non consistit hominis bonum, quia nõ est actio hominis tentari, sed passio. Nec est appetenda ex spe victorie, quia illud non est propter alterum appetendum, quod nõ est eius inductiuũ, vel ad illud aliquo modo promotiuũ, sed tentatio non est inductiua victorie, nec ad victoriam promotiua, imò magis impeditiua, tum quia promptiores sumus ad malum q̄ ad bonum, tum quia ipsa tentatio secundum se est propositio alicuius mali sub specie boni, & ideo nata est magis inclinare ad cõsensum malum, q̄ ad oppositum: veruntamen tentare, & vincere copulatiue accepta, appetenda essent, si copulariua esset certa. Non est autem sic, & ideo tentatio securius fugitur, quã queratur. Cum scriptũ sit Eccles. 7. Qui amat periculum, peribit in illo.

6 Ad primum argumentum dicendum q̄ beatus Iac. non dicit esse gaudendũ de tentationibus, sed ad eas vincendum hortatur per considerationem gaudii, ad quod peruenitur, superado per patientiã, tentationem, & tribulationem, de quibus loquitur.

7 Ad secundum dicendũ est quod stimulus carnis quẽ Paulus habuit, nõ fuit tentatio carnis, quia sine culpa esse nõ potest, sed fuit afflictio corporalis, vel suggestio carnalis ab hoste, tamẽ neq; indiscretẽ petiit habita consideratione stimuli secundũ se, sed considerato euentu victorie, de quo tamen nõ erat certus, dicitur nesciuisse quid peteret, vnde certificatus de victoria a Domino dicente sibi, sufficit tibi gratia mea, patienter sustinuit.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum peccatum primorum parentum

fuerit grauisimum.

Thom. 1. q. 163. art. 3.

TERCIO quæritur, vtrum peccatum primorum parentum fuerit grauisimũ. Et videtur q̄ sic: quia secundum Aug. in Enchir. Non est malum nisi quia nocet, neq; nocet, nisi quia admittit: sed peccatum primorum parentum plus de bono ademit totam naturam corrumpens, q̄ quodcunq; aliud peccatorum sequentium, ergo &c.

2 Item maiori culpæ debetur maior pœna, sed peccatum primorum parentum maxima pœna punitum est.

3 IN CONTRARIUM est, quia maius est transgredi præceptum legis naturalis & diuine, q̄ præceptũ iohannis discipuli, sed multi transgrediuntur præcepta legis naturalis & diuine (vt blasphemantes.) Primi autẽ parentes transgressi sunt solum præceptum disciplinae, quare &c.

4 RESPONSIO. Peccatum potest comparari peccato dupliciter. Vno modo comparando species diuersorum peccatorum secundum grauitatẽ, vt comparatur furtum homicidio: alio modo comparando, diuersa peccata eiusdem speciei, vt comparando furtum furto, vel homicidium homicidio. & in prima comparatione videndum est de grauitate peccatorum secundum ea ex quibus peccata sortuntur speciem, sed in secunda videndũ est de grauitate peccatorum secundũ circumstantias alleuiantes vel aggrauantes. Dicendũ ergo q̄ peccatũ primorum parentum comparatũ ad peccata alterius speciei, non fuit grauisimũ, sed comparando tamẽ ad peccata eiusdem speciei fuit quoad aliquid grauisimum. Primum patet, quia peccatũ tamõ est grauius secundum speciem peccati, quanto actus cadit super materiam magis indebitã, sicut homicidiũ est grauius furto secundum speciem peccati, quia & plus est diligenda persona proximi, & minus laedenda, q̄ res extrinseca. Sed peccata multorum cadũt super materiam magis indebitã, q̄ peccatũ primorum parentum, vt peccatum idololatriæ vel blasphemie, ergo &c.

5 Secundum apparet, quia secundum Aug. de Ciuit. dei. Vbi est maior in non peccando facilitas, ibi est maior in peccando iniquitas. Sed in primis parentibus fuit maxima in non peccando facilitas, tum quia in eis vigeat magis ratio, tum quia nihil erat intrinsecũ quod impelleret ad prauẽ concupiscendum sicut in nobis, ergo quoad hoc peccatũ fuit grauisimum. Dico autẽ quoad hoc quia nihil prohibet in peccato disciplinae alias circumstantias esse secundum quas multo grauiora peccata eiusdem speciei (scilicet superbiæ vel inobedienciæ) sequuta sunt.

AD

6 AD Primum arg. dicendum q̄ illud peccatum est grauius secundum se, quod per se & directe maius bonū, vel plura bona adimit, non autē si hoc fiat per accidens, quia ab eo quod est per accidens non debet sumi iudiciū. Nunc est ita, q̄ per peccatum primorū parentum non est maius bonum ademptum per se, sed per accidens solum: per se autē non adimit peccatum nisi suū oppositū, & ea quæ ex necessitate supponunt ipsū, sicut infidelitas adimit fidem primō & per se, omnia verō quæ supponunt fidem, adimit quidem per se, sed non primō. Similiter peccatum primorum parentum siue fuerit peccatum superbia, siue gula, non adimit per se nisi suū oppositū, scilicet humilitatem vel temperantiam, vel ea quæ ista ex necessitate supponunt, quod autem adempta est à tota natura iustitia originalis, hoc adimit Deus à nobis ex demerito peccati, & est pœna inflicta pro peccato, non autem peccatum ipsum ademit hoc formaliter, de qua ademptiōe loquitur Augustinus.

7 Ad secundum dicendū quod pœna damni nō proportionatur quantitati culpæ, quia pro modica culpa potest quis reddere ingratum alteri, & indignum bono collato vel conferendo. Sed proportionatur ei pœna sensus. Peccatum autē primorum parentum punitum est maxima pœna damni, inquantum per illud reddidit se & totam posteritatem indignam dono originalis iustitiæ, sed non est punitum maxima pœna sensus.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum homo in statu innocentie potuerit peccare venialiter.

Tho. 1. q. 90. ar. 3.

DE INDE quæritur, vtrum homo in statu innocentie potuerit peccare venialiter. Et videtur quod sic, quia peccatum mortale magis opponitur integritati primi status, quam peccatū veniale: sed tunc potuit peccare mortaliter, ergo multo fortius venialiter.

2 Item in Eva videtur fuisse aliquis motus infidelitatis in hoc quod de verbis domini dubitauit, vt patet per hoc quod dicit, ne forte moriamur, vt habetur Gen. 3. Sed motus infidelitatis est peccatum veniale, ergo &c.

3 IN Contrarium est, quia peccatū veniale est velut quedam ægritudo animæ, quæ admodum peccatum mortale est eius mors, sed tunc non fuit in corpore possibilitas ad ægritudinem, nisi præcedente possibilitate ad mortem, ergo similiter in anima nō fuit possibilitas ad peccatū venialiter, nisi præcedente possibilitate ad peccatum mortaliter, vt autē se habet potentia ad potentiam, sic actus ad actum, igitur &c.

4 **R**ESPONSIO. Quæstio ista potest habere duplicem intellectum. Vnum vtrum durante statu innocentie potuerit peccare venialiter. Et cōstat sub hoc sensu q̄ non, quia ille nō est innocens qui est reus pœnæ, præcipue quando est reus ex actu proprio, sed peccans venialiter reus est pœnæ, nō solū damni, sed etiam sensus & ex actu proprio: ergo non est innocens. Alio modo potest intelligi, vtrum primū peccatū hominis per quod caderet à statu innocentie, potuerit esse veniale, vel necessario fuerit mortale, & posset videri alicui q̄ nō potuit esse veniale, quia veniale nō mutat statū hominis, nec iterū potest esse cū statu innocentie, vt statim visum est, ergo nullo modo peccatū primi hominis potuit esse veniale. Sed istud non valet, quia licet veniale nō mutet statū gratiæ, quia simul stat cū gratia, mutat tamen statū innocentie, cū quo stare nō potest, imō videtur implicare contradictionem, q̄ in compossibile vnum non mutet alterum.

5 Et ideo dicendum est aliter, q̄ primum peccatū hominis nō potuit esse veniale. Quod patet, quia peccatum veniale cōtingit in nobis dupliciter. Vno modo propter imperfectionē actus, subiti motus in genere peccatorum mortalium, vel propter inordinationē existentem circa ea quæ sunt ad finem: vtrunq̄ autem horum contingit propter quandam defectū ordinis ex eo quo inferius nō cōtinetur firmiter sub suo superiori. Quod autem in nobis insurgat subitus motus sensualitatis ex hoc contingit q̄ sensualitas nō est omnino subdita rationi, q̄ etiam insurgat subitus motus in ratione ipsa, sicut est motus infidelitatis, cōtingit ex hoc q̄ actus rationis non plene subdi-

tur deliberationi quæ ex altiori principio est, puta ex lege Dei, vt cum aliquis subito apprehēdit resurrectionem mortuorum vt impossibile, nō deliberas q̄ hoc est nobis traditū secundum legē Dei. Quod verō animus hūmanus inordinetur circa ea quæ sunt ad finem seruari debito ordine ad finem prouenit ex hoc q̄ ea quæ sunt ad finem, non ordinantur infallibiliter sub fine. In statu autem innocentie fuit infallibilis firmitas ordinis, vt semper inferius contineretur sub superiori, quandiu summum hominis contineretur sub Deo, vt etiā Aug. dicit. 14. cap. 26. de Ciui. dei. Et ideo nulla inordinatio potuit esse in homine, nisi inciperet ab hoc q̄ summū hominis non subdere tur deo, quod fit per peccatū mortale. Ex quo patet q̄ primum peccatū hominis nullo modo potuit esse veniale.

6 Ad primum argumentum dicendum, q̄ peccatum mortale plus opponitur integritati primi status, q̄ veniale. Opponitur enim illi subiectioni quā homo secundum suum summum habebat ad Deum, ex qua tota ordinatio hominis dependebat, & qua existente nulla inordinatio contingere poterat. Et ideo impossibile fuit inordinatio nem peccati venialis contingere, nisi sublatā subiectione prædicta pro peccatum mortale.

7 Ad secundum dicendū quod dubitatio illa quæ fuit in muliere siue fuerit peccatum veniale, siue mortale, nō fuit primum eius peccatum, sed quoddam elatio quæ præcessit in eius mente, quæ fuit peccatum mortale, vt patet sequente distinctione.

Sententia huius distinctionis. X X I I. in generali & speciali.

Hic videtur inuestigandum esse diligenter. Superius ostendit Magister tentationis principium extrinsecum. Hic determinat de principio intrinseco. Et diuiditur in duas. Primo determinat genus primi peccati. Secundo inquit eius radicem. Secunda ibi, Solet autem quæri. Prima in duas. Primo determinat intentum. Secundo opponit contra determinata, & soluit. Secunda ibi, His autem opponi solet. Prima diuiditur in tres. Primo ostendit genus peccati primo opponendo in contrarium & determinando. Secundo ostendit quomodo diuersimode fuit elatio in viro & muliere. Terio ex hoc concludit vter eorum plus peccauit. Secunda ibi, Et talis elatio. Tertia ibi, Ex quo manifeste aduertit potest. Et ista diuiditur in duas. Primo ostendit vter prior peccauit, sic licet vir an mulier. Secundo opponit in cōtrarium & determinat. Secunda ibi, Sed huic videtur contrarium. Vltima pars in qua inquit radicem peccati, diuiditur in duas secundū duas quæstiones quas mouet. Secunda ibi, Si verō quæritur. Hæc est sententia lectionis in generali.

2 IN Speciali sic procedit, & proponit primo q̄ hæc fuit radix & origo illius peccati primorum parentum q̄ scilicet in hominis animo processit secundum quoddam elatio ex qua diaboli suggestioni consentit hoc ordine, quia prius in muliere q̄ in viro, obiicit autem cōtra, quia tunc sequeretur q̄ homo nō alterius suggestione peccauit, sed per propriam superbiam reciderit sicut angelus quod est contra superius dicta. Et respondet quod intelligendum est elationem præcessisse, non quidem tentationem sed opus peccati. Et ideo homo suggestionem peccauit, fuit autem hic ordo & processus quod præcessit diaboli tentatio ex qua post sequuta est in mente elatio, quæ sequuta est peccatum in operis. Vltimo pœna peccati. Postea dicit q̄ talis elatio fuit in muliere quia credidit & voluit habere similitudinē cum æqualitate quadam putans esse verum quod diabolus suadebat. Sed vir non fuit eodem modo seductus quo mulier quia nō putauit verum esse quod diabolus suggerebat. Aliqua tamen elatio post tentationem in mente viri fuit, quod per autoritates confirmat. Postea dicit concludendo quod mulier plus peccauit quam vir, quia verū esse quod dixerat diabolus credidit, cum nimia præsumptione. Adam verō illud nō credidit, & de penitentia & dei misericordia cogitauit, magis autem fuit deceptus vir q̄ mulier quantum ad hoc solum, quia putauit peccatum commissum esse veniale quod fuit mortale. Item in hoc minus peccauit vir quam